

Epistolae Sancti Brunonis

Patriarcha Cartusiensium



I. Ad Radulphum Viridem

1. DOMINO venerando R. Remensi praeposito, sincerissimo caritatis cultu observando, B. salutem.

Veteris approbataeque amicitiae fides eo praeclarior et laude ampliori dignior in te conspicitur quo rarior haec apud homines reperitur. Quamquam enim longo terrarum tractu et prolixiori temporis spatio corpora ab invicem disiuncta sint, animus tamen benevolentiae tuae ab amico avelli non potuit. Quod quidem litteris tuis suavissimis, in quibus mihi amice blanditus es, necnon beneficiis non solum mihi, verum etiam fratri Bernardo causa nostri large impensis, aliisque indiciis nonnullis satis ostensum est. Unde grates, non quidem meritis tuis pares, sed tamen ex amoris puro fonte manantes, benignitati tuae rependimus.

2. Peregrinum quemdam, in aliis legationibus satis fidelem, cum litteris ad te iamdudum direximus; sed, quia hucusque non comparet, dignum iudicavimus unum ex nostris caritati tuae transmittere, qui omnia quae circa nos sunt, quia minus ad haec calamo et atramento sufficimus, copiosius viva voce prosequatur.

3. Notificamus ergo dignationi tuae, quoniam id sibi non ingratum putamus, nos corpore - utinam sic mente - valere, et quae ad exteriora pertinent satis esse pro voto. Verum etiam opperior supplicans divinae misericordiae manum, quae et interiores *omnes sanet infirmitates meas et satiet in bonis desiderium meum.*¹

4. In finibus autem Calabriae cum fratribus religiosis et aliquot bene eruditis, qui in excubiis persistentes divinis *expectant reditum domini sui ut, cum pulsaverit, confestim aperiant ei,*² heremum incolo, ab hominum habitatione undique satis remotam. De cuius amoenitate, aerisque temperie ac sospitate, vel de planitie ampla et grata, inter montes in longum porrecta, ubi sunt virentia prata et florida pascua, quid dignum dicam? Aut collium undique se leniter erigentium prospectum, opacarumque vallium recessum, cum amabili fluminum, rivorum fontiumque copia, quis sufficienter explicet? Nec irrigui desunt horti diversarumque arborum utilis fertilitas.

¹ Ps 102, 3. 5.
² Lc 12, 36.

5. Verum quid his diutius immoror? Alia quippe sunt oblectamenta viri prudentis, gratiora et utiliora valde, quia divina. Verumtamen arctiori disciplina studiisque spiritualibus animus infirmior fatigatus saepius his relevatur ac respirat. Arcus enim, si assidue sit tensus, remissior est et minus ad officium aptus.³

6. Quid vero solitudo heremique silentium amatoribus suis utilitatis iucunditatisque divinae conferat, norunt hi soli qui experti sunt.

Hic namque viris strenuis tam redire in se licet quam libet et habitare secum, virtutumque germina instanter excolere atque de paradisi feliciter fructibus vesci.⁴

Hic oculus ille conquiritur, cuius sereno intuitu vulneratur sponsus amore,⁵ quo mundo et puro conspicitur Deus.

Hic otium celebratur negotiosum et in quieta pausat actione.

Hic pro certaminis labore repensat Deus athleticis suis mercedem optatam,⁶ pacem videlicet quam mundus ignorat, et gaudium in Spiritu Sancto.⁷

Haec est Rachel illa formosa, pulchra aspectu, a Iacob plus dilecta, licet minus filiorum ferax, quam Lia fecundior, sed lippa.⁸ Pauciores enim sunt contemplationis quam actionis filii; verumtamen Ioseph et Benjamin plus sunt ceteris fratribus a patre dilecti.

*Haec est pars illa optima quam Maria elegit, quae non auferetur.*⁹

7. Haec est Sunamitis pulcherrima illa, sola in omnibus finibus Israel reperta, quae David virgo foveret senem et calefaceret.¹⁰ Quam tu, mi frater carissime, unice utinam diligeres, ut eius amplexibus fatus, divino caleres amore. Cuius si caritas semel animo tuo insederit, mox illecebrosa illa et blanda deceptrix gloria mundi tibi sorderet, sollicitasque opes, menti sane onerosas, leviter abiiceres, necnon voluptates fastidires, prorsus aequae corpori animoque nocivas.

8. Novit namque prudentia tua quis dicat: *Qui diligit mundum et ea quae sunt in mundo - quae sunt voluptas carnis, concupiscentia oculorum atque ambitio - non est caritas Patris in eo;*¹¹ et item: *Qui est amicus mundi huius inimicus Dei constituitur.*¹² Quid igitur tam iniquum, quid sic insanae et

³ cf. Cassianus, Collatio XXIV, 21.

⁴ cf. Gn 2, 8 - 17.

⁵ cf. Cant 4, 9.

⁶ cf. 2 Tim 4, 7 sc.

⁷ Rom 14, 17; cf. oratio super oblata ad missam pro pace.

⁸ cf. Gn 29, 16 - 35.

⁹ Lc 10, 42.

¹⁰ cf. 1 Reg 1, 2 sc.

¹¹ 1 Io 2, 15 - 16.

¹² Iac 4, 4.

praecipitatae mentis, quid tam est perniciosum quidve infelicius, quam contra eum cuius potentiae resistere, cuiusve ultionem iustitiae effugere non vales inimicitias exercere velle?¹³ *Numquid fortiores illo sumus?*¹⁴ Numquid quia patientia pietatis suae nos modo ad paenitentiam provocat, iniurias contemptus sui tandem non ulciscetur? Quid enim est perversius, quid tam rationem, iustitiam ipsamque naturam oppugnans, quam creaturam plus diligere quam creatorem, plus peritura quam aeterna, plus terrena quam caelestia sectari?

9. Quid igitur agendum censes, carissime? Quid, nisi credere consiliis divinis, credere veritati, quae fallere non potest?¹⁵ Consulit namque in commune, dicens: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.*¹⁶ Nonne pessimus et inutilis labor est concupiscentia distendi, sollicitudinibus et anxietatibus, timore et dolore pro concupitis incessanter affligi?¹⁷ Quod vero onus est gravius quam quod mentem a sublimi dignitatis suae arce in infima deprimit, quod est iniustitia omnis? Fuge ergo, frater mi, has molestias et miseras omnes, et transfer te a tempestate mundi huius in tutam et quietam portus stationem.

10. Novit etiam prudentia tua quid nobis Sapientia ipsa dicat: *Nisi quis renuntiaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus.*¹⁸ Quod quam pulchrum, quam sit utile quamque iucundum in schola eius sub disciplina Spiritus Sancti manere, divinamque addiscere philosophiam quae sola dat beatitudinem veram, quis non videat?

11. Quapropter opere pretium est diligenti examinatione prudentiam tuam perpendere quod, si amor Dei te non invitat, si tantorum praemiorum utilitas non provocat, saltem necessitas et timor poenarum ad haec te compellere debet.

12. Scis namque qua sponsione obligatus es, et cui. Omnipotens est et terribilis, cui te ipsum munus gratum et omnino acceptabile devovisti; cui nec mentiri licet nec expedit; nec enim patitur se inulte irrideri.¹⁹

13. Reminiscitur quippe dilectio tua quod, cum ego et tu et Fulcuius Monoculus quadam die simul fuisset in hortulo adiacenti domui Adam, ubi tunc hospitabar, de falsis oblectationibus et perituris mundi huius divitiis necnon de perennis gloriae gaudiis aliquamdiu, ut opinor, tractavimus. Unde, divino amore ferventes, promisimus, vovimus atque disposuimus in proximo fugitiva saeculi relinquere et aeterna captare²⁰ necnon monachicum habitum recipere. Quod et in vicino peractum esset, nisi Fulcuius tunc Romam abiisset; ad cuius reditum peragenda distulimus. Quo moram faciente aliisque intervenientibus causis, refriguit animus fervorque evanuit.

¹³ cf. Rom 2, 3.

¹⁴ 1 Cor 10, 22.

¹⁵ cf. 2 Thes 2, 11 sc.

¹⁶ Mt 11, 28.

¹⁷ cf. Eccl 3, 10; 4, 8.

¹⁸ Lc 14, 34.

¹⁹ cf. Gal 6, 7; Iob 24, 12.

²⁰ cf. 1 Tim 6, 12.

14. Quid ergo superest, carissime, nisi a tanti debiti nexibus te citius expedire, ne pro tam gravi tamque diuturno mendacii crimine iram incurras Potentissimi, et per hoc cruciatus immanes ? Quis namque potentum inultum relinqueret se a quolibet sibi subdito defraudari munere promisso, maxime si id magnae fuerit sibi aestimationis et pretii? Quapropter crede non mihi, sed prophetae, imo Spiritui Sancto dicenti: *Vovete et reddite Domino Deo vestro, omnes qui in circuitu eius affertis munera: terribili et ei qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terrae.*²¹ Audis Dominum, audis et Deum tuum; audis terribilem et auferentem spiritum principum, audis et terribilem apud reges terrae. Cur haec omnia inculcat Spiritus Dei, nisi ut te voventem perurgeat reddere promissa? Quid vero reddere gravaris quod nullam bonorum tuorum facit iacturam vel imminutionem, quodque tua potius quam illius cui persolveris accumulatur lucra?

15. Quocirca non te detineant divitiae fallaces, quia inopiam expellere nequeunt, nec dignitas praepositurae, quae non sine magno administrari potest periculo animae. Aliena namque, quorum minister sis et non possessor, in proprios usus convertere, ut pace tua dicam, tam est odiosum quam iniquum. Quodsi splendoris et gloriae appetens fueris multamque retinere familiam, nonne, cum tua quae ex iusto habeas non suppetunt, necesse est ut quoquo pacto eripias aliis quod aliis largiaris? Quod non est esse beneficum aut liberalem. Nihil est enim liberale quod non idem iustum.

16. Verum et hoc dilectioni tuae persuasum cupio, ne pro domni archiepiscopi necessitudine, qui plurimum consiliis tuis credit et nititur, quae non omnia iusta vel utilia facile dantur, a divina revocaris caritate, quae quanto est iustior, tanto et utilior. Quid autem tam iustum tamque utile, quidve humanae naturae sic insitum et congruum quam diligere bonum? Et quid aliud tam bonum quam Deus? Imo, quid aliud bonum nisi solus Deus?²² Unde anima sancta, huius boni incomparabilem decorem, splendorem, pulchritudinem, ex parte sentiens, amoris flamma succensa, dicit: *Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum; quando veniam et apparebo ante faciem Dei?*²³

17. Utinam, frater, non aspernaris amicum monentem. Utinam non surda audias aure verba Spiritus Sancti. Utinam desiderio longaeque expectationi meae satisfacias, dilectissime, ne diutius pro te crucietur anima mea curis, sollicitudinibus atque timore. Nam si evenerit, quod Deus avertat, te, priusquam debitum voti solveris, ab hac recedere vita, me continua tristitia sine aliqua spei consolatione tabescentem relinques.

18. Quapropter a te exoratum et impetratum cupio, ut vel causa orationis ad sanctum Nicolaum et inde usque ad nos venire digneris, quatenus videas qui te unice diligit et statum rerum nostrarum ac religionis ordinem necnon quae ad communem utilitatem spectant mutuo viva voce tractare possimus. Et confido in Domino quod non te paenitebit tantum itineris subisse laborem.

²¹ Ps 75, 12 --13.

²² cf. Mt 10, 18; Lc 18, 19; Deut 6, 4.

²³ Ps 42, 3.

19. Epistolaris brevitatis excessi modum quia, dum te corpore praesentem habere non possum, saltem diutius sermocinando tecum morabor.

Fraternitatem tuam diu incolumem, memorem consilii nostri vigere sedulo exopto.

Vitam beati Remigii ut nobis transmittatis oro, quia in partibus nostris nunquam reperitur.

Vale.

* * *

II. Ad filios suos Cartusienses

1. FRATRIBUS suis unice dilectis in Christo, Frater Bruno salutem in Domino.

Cognito rationabilis et vere laudandae disciplinae vestrae inflexibili rigore, ex crebra ac dulci relatione beatissimi fratris nostri Landowini: necnon audito sancto amore vestro et incessanti studio erga ea quae integritatis et honestatis sunt, exultat spiritus meus in Domino. Vere exulto et feror in laudem et gratiarum actionem Domino,²⁴ et tamen amare suspiro. Exulto quidem, ut iustum est, pro incremento frugum vestrarum virtutum,²⁵ me autem doleo et erubesco, inertem et socordem iacere in sorde peccatorum meorum.

2. Gaudete ergo, fratres mei carissimi, pro sorte beatitudinis vestrae et pro larga manu gratiae Dei in vos. Gaudete, quia evasistis fluctuantis mundi multimoda pericula et naufragia. Gaudete, quia quietam et tutam stationem portus secretioris obtinuistis, ad quem cum multi venire desiderent, multi quoque nonnullo conatu contendant, non perveniunt tamen. Multi vero, postquam potiti fuere, exclusi sunt, quoniam nulli eorum desuper concessum est.

Ideo, fratres mei, certum ac probatum sit vobis quod, quicumque hoc optabili usus est bono, si quocumque modo id amiserit, usque in finem dolebit, si quis respectus, vel cura salutis animae suae sibi fuerit.

3. De vobis, dilectissimis fratribus meis laicis, dico: *Magnificat anima mea Dominum*,²⁶ quia magnificentiam misericordiae suae super vos²⁷ intueor secundum intimationem prioris vestri et patris amantissimi, qui multum gloriatur

²⁴ cf. Lc 1, 47.

²⁵ cf. 2 Cor 9, 10.

²⁶ Lc. 1, 42.

²⁷ cf. Lc 1, 46. 50.

pro vobis et gaudet.²⁸ Gaudemus et nos quoniam, cum scientiae litterarum expertes sitis, potens Deus digito suo inscribit in cordibus²⁹ vestris, non solum amorem, sed et notitiam sanctae legis suae. Opere enim ostenditis quid amatis, quidve nostis. Nam cum obedientiam veram cum omni cautela et studio observatis - quae est exsecutio mandatorum Dei, et clavis ac signaculum totius spiritualis disciplinae, quae nunquam est sine multa humilitate et egregia patientia, quam semper comitatur castus amor Domini et vera caritas - manifestum est vos sapienter legere ipsum fructum suavissimum et vitalem Scripturae divinae.

4. Ergo, fratres mei, permanete in eo ad quod pervenistis, et morbidum gregem quorundam vanissimorum laicorum ut pestem vitate, qui chartulas suas circumferunt, mussitantes quae non intelligunt³⁰ nec amant, quibus verbis et factis contradicunt. Qui otiosi et gyrovagi,³¹ quotquot bonis et religiosis detrahunt, et se in hoc laudabiles putant, si laudandos infamaverint, quibus obedientia et omnis disciplina odio est.

5. Fratrem vero Landowinum nobiscum detinere volui propter graves et crebras infirmitates suas: sed quia sibi nihil sanum, nihil iucundum, nihil vitale et utile esse sine vobis reputat, non acquievit, protestans mihi in lacrimarum fonte pro vobis emanante, et suspiriis multis, quanti apud eum sitis et quam perfecta caritate vos omnes diligit. Unde coactionem nullam facere volui, ne laederem eum, aut vos, quos carissimos pro merito virtutum vestrarum habeo.

Quapropter fraternitatem vestram sedulo moneo, et submisce atque obnix precor, ut caritatem quam corde gestatis exsecutione operis in ipsum, utpote in priorem et patrem vestrum carissimum, ostendatis, benigne et provide subministrando quae sibi pro multimoda valetudine sua necessaria sunt. Quod si vobis in hoc humanitatis officio non consenserit, malens periclitari de salute et vita, quam aliquid de disciplinae corporalis rigore omittere, quod prorsus improbandum est - forsitan erubescet ut, qui primus in religione est, in hac parte posterior inveniatur, metuens ne occasione sui aliquis ex vobis remissior vel tepidior fiat, quod nullatenus formidandum puto - ne huius gratiae expertes sitis, nostram vicem in hoc tantum vestrae caritati concedimus, ut liceat vobis reverenter eum cogere ad ea quae saluti suae commodastis.

6. De me, fratres, scitote quoniam mihi unicum post Deum est desiderium veniendi ad vos et videndi vos. Et quando potero, opere adimplebo, Deo adiuvante.

Valete.

© *Monastère de la Grande Chartreuse*

²⁸ cf. 2 Cor 7, 13-15.

²⁹ cf. 2 Cor 3, 3; Deut. 9, 10.

³⁰ cf. 1 Tim 1, 7.

³¹ cf. Cassianus, Collatio, XVIII, 4; Regula sancti Benedicti, 1.